

conuerti uoluerunt ab omni
recte sua. Habent cer
uisti & se iuri medicina
te praesentant. ut nihil
fuis meritis tribuan
re depurantes. de his in
timeliter uicae estantia
nullis qd de talibus a re
im sui de uirtute inur
doloru in si or. Nihil
numo id est in sca script
alio necessarii si quis
eq. quicquid qd nomum
tut. Tu aut neglexe
im alius in nulla sua.
omne sua; Omnia

tanti ad sustentatione huius pre
sentis pntent uicae: qd e mundi
delectatio quae anima si parat qd po
Vnde dicitur; At illi nec dixer. & abier
aluis in nulla sua aluis ad negotiatio
ne sua; In nulla re e. In terrene
inmoderate inuimbere. In negotia
tione uero re e. ad honi uero iecu
larium lucris inhiare; Quia enim
aluis in tentus labori terrene. aluis
uero mundi huius ad honib; delectis
mysteria incarnationis dominicae
pensare & sectin illu uiuere diffimu
lat quasi actuali uel negotium p
gens. uenire ad regis in ptaf recusat
I. Plerumq; quod e gratia in nulli
uocant. Nam in uis pium
fai etiam fecerit; Vnde et in libell.

Medic...

operari
in opera

in opera
in opera

Continetur hoc Volumini
DUNCAN LIDDELL SCOTT

Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus & Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In III. Meteororum de Misi generatōe Disp. I.

In III. Meteororum de Concoctione Disp. II.

Dissp. Pathologicarum, I. de Morbis.

II de Caus Morbor in gre.

V.

VI.

IIIX.

Dissp. posterior de Protagijs

de Peste diss. prior.

De Natura & Facultatib. medicamentorum.

De Compositione & Preparatōe medicamentor.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione &

de Febribus Natura & disp. I.

de Febribus II.

de Febribus III.

RERVM MEDICINALIVM
Ex Dioscoridis primo libro desumptarum
 DISPVATIO PRIMA,

De
GENERE AROMA-
TIVM, QVAE RA-
DICES SVNT.

CVIVS THESES

Diuinâ fauente gratiâ

PRÆSIDENTE
 IOHANNE SIGFRIDO, PHILOS.
 & Medicinæ Doctore ac professore in
 Illustri IVLIA ordinario,

Publicè tuendas suscipit
LEVIVS FISCHERVS
Osteronicensis.

Habebitur disputatio die 26. IXbris, manè
 hora 7. in auditorio maiore.

HELMÆSTADII,
 Ex Typographico IACOBI LVCII.

—
 Anno cl. l. c. XL.

AD IOAN. SIGFRIDVM, medicum, botanicum,
anatomicum Cl. mum.

Vertice iam pridem de cello Bructerus horrens,
Monticolas longè quâ despicit Hercynionas,
Aes varium in terræ venis miratur, & aurum:
Nunc mage miratur, frondosi in vallibus Elmi
Princeps pinniferas turres quas extulit alto
Iulius, & circum lætos posuit paradisos,
In quibus exiliunt Pædeïæ quattuor amnes,
Inq; rigant omnem patriam, vicinaq; regna.

Sed hic locus & olim illustratus à me fuit, & volente me, magis illustretur ab ingenijs ad numerorum splendorem factis. Neq; enim tibi morem hac in re hac ætate gerere possum: neq; prorsus negare debui, cum legerem tua de aromatis. Semper autem predicandus est auctor tanti boni, princeps beneficentissimus Iulius; nec minus qui porrò hanc scholam regiam munificè tuentur; omnes deniq; qui hoc negotium consilio, benevolentia & auctoritate adiuvant. Hoc autem Deo salutiq; publicæ adificium omninò sustinent quatuor ordines, ut columna, quarum si una vacillet, illud non leuiter periclitetur. Nec ordinum ullus autem est, cui non impensè semper fauerim, quem non venerer maximè: quod familiarium quoq; nemo dubitet. Sed cum ΑΣΗΛΠΙΩΔΟΥΣ necessitudinem mihi maiorem semper fuisse, missa ad Arnisæum nostrum epistola, uberius etiam testatus sum; memineris enim. Estis enim veritatis indagatores perperui, laboriosi, modesti pleriq; deniq; tenui meæ valetudini necessary. Nec fuit igitur vestri ordinis familiarium, quin se à me coli intellexerit, intellexerint quoq; alij: nec minus tibi Io. Sigfride, debeo, notitia veteris, collegij academici, & vicinitatis tot annorum nomine. Non possum etiam te non hodie laudare, qui, postquam vestra societas, his annis alijs atq; alijs de causis, vnius abitu, vnius obitu, non leuem iacturam fecit: ipse quoq; contra niteris, & fulcis ruinam, quod in te est: idem & à quibusdam auditorum cum diligentia singulari fieri intelligo, vel scio potius, quando & ipsi non minus mihi, quam vobis familiares sunt: è quibus pereruditum & singulari modestiâ inuenem, Læuinum Fischerum, denuò producis in arenam publicam: sed audient vos omnes: legent vestra & censebunt alijs foris: quos cupio cognoscere, neq; dum frigere omnia in academia Iulia: quod iam quoq; pluribus declararem, si angustiior hic locus pateretur. Vale. Natali academie Iulia XXXVI. cl. l. c. XL.

IOAN. CASELIUS.

DISPUTATIONIS PRIMAE
DE GENERE AROMATVM,
quæ RADICES sunt.

THESIS I.



DIOSCORIDES Anazarbensis vir militaris, & Cleopatraræ Reginae Aegypti, in prælio, in quo M. Antonius ab Augusto Cæsare victus est, Medicus Castrensis, vt Medicamentorum simplicium exactam sibi cognitionem compararet, ab ineunte ætate iugi desiderio cognoscendæ materiæ medicæ allectus, permultas regiones tam propinquas, quàm remotas adiit & perlustrauit, in ijsq; omnis generis simplicia, nullis parcens sumptibus, nullos labores fugiens, aut pericula metuens, inquisiuit, inspexit, collegit, descripsit, in ordinem redegit, & in vnum volumen seu opus, idq; perfectum digessit & concinnauit.

in præfat.
primi libri.

2. Id autem opus, in quo vniuersa materia medica continetur, perfectum esse, non solum ipse in præfatione monet; verum etiam Galenus perspicuè declarat. Nam lib. 6. s. m. fac. in proœmio hæc memoriæ prodidit: *Et mihi utiq; videtur, omnium perfectissimè Tractatum de materiâ Medicamentorum confecisse: Nam licet à maioribus de illis benè scripta extent, tamen à nemine omnium æq; de omnibus; nisi quis Tanitrum prædicet Asclepiadis. Adhæc quoq; quæ scripta reliquit Heraclides Tarentinus, & Crataeas, & Manteras, non in ordinem digesta, nec in vnum omnia collecta visuntur.*

3. Præterea opus hoc in Sex libros diuisum est, in quorum quinq; prioribus omnem materiam Medicinalem eruditè proposuit, ac perspicuè explicauit; Et quæ vel facultate seu



viribus, vel facierum seu formarum similitudine conueniunt, coniunxit, nec non nominum similitudine obseruatâ diuersa & inter se differentia in certas classes retulit. In sexto autem tractat de venenis, Bestijs venenatis seu virus eiaculantibus, & Medicamentis lethalibus: tum de Medicamentis, quibus morbi à venenis & venenatis rebus producti & procreati, arceantur & curentur.

4. Quinq; priores libros Galenus loco supra allegato, (in quo ponit censuram veterum & recentiorum, qui de Medicamentis simplicibus scripserunt, ex quibus præcipuè reprehendit Pamphylum & Andream, maximè vero laudat & prædicat Dioscoridem) vehementer commendat, vbi hæc pronunciauit verba: *Ac Dioscorides Anazarbensis, quinq; libris omnem materiam vtilem absoluit, non herbarum tantum, sed & (lib. 1. 3. 4.) arborum & fructuum, & succorum, & liquorum; memorans insuper, (lib. 5.) & Metallica omnia, & (lib. 2.) partes animalium. Et in lib. 1. de Antidotis c. 24. ait. Ac de omni quidem materiâ medicâ satis superq; à Dioscoride quinq; libris est disputatum, à quo discere licet unicuiq; cum alijs, tum gustu, olfactuq; perceptas, quibus probata medicina certissimè cognosci, & ab improbatis secerni queunt: In quibusdam verò oculis percepta qualitates haud parum utilitatis afferunt.* Ex quibus certò colligere licet, Dioscoridem reliquos omnes, qui de materiâ medicâ scripserunt, facile superare, & proinde primas tenere.

lib. de simplic. Med. lib. 1 de comp. Med. 5. Desumitur autem materia seu res medica, teste Galeno, à tribus præcipuè rerum generibus, nempè stirpibus seu plantis, animalibus & Mineralibus.

f. gen. c. 4. Lib. 6. de simpl. m. fac. in pro. c. mio. 6. Plantarum genera quatuor sunt: Arbor, frutex, suffrutex, & herba. Horum autem ferè omnium partes sunt, radix, cortex, caudex, caulis, rami, folia, flores, fructus; ex quibus plæraq; non tantum animalium corpora nutriunt, verumetiam certos & peculiare in Medicinâ habent vsus.

7. Ve-

7. Verum enimvero, cum duo sint præcipui Medicinæ scopi, nempe Sanitatis conseruatio, & morborum corpus infestantium Curatio: Dioscorides materiam medicam pertractaturus, in primâ primi Libri parte ea recensuit & explicauit, quæ valetudinem tueri & conseruare, hoc est, calorem natium fouere, & spiritus recreare valent. Eiusmodi verò præter alias medicamentosas herbas, sunt AROMATA propriè vocata.

8. AROMA, ἀρώμα Gr. dicitur, Latinis odoramentum. Aromata Isidorus dicta putat, vel quòd aris in sacrificijs fuerint imposita, vel quòd ob tenuem substantiam, quam possident, odor eorum facilè aëri commisceatur, & ab animalibus attrahatur.

9. Aromata sunt plantæ vel certarum plantarum partes, quæ substantiâ constant tenui; suauem spirant odorem, sapore acri aut amaro sunt præditæ, temperamento calidæ, cibusq; tanquam condimenta adiiciuntur, & medicamentis permiscentur, cum, vt facultatem concoctricem iuuent, tum vt spiritus corporis foueant & recreent; tum partium vires corroborent, augeant & conseruent; Quas ob causas Medicamenta corroborantia & valetudinem conseruantia denominantur.

l. 2. alim. fac. c. 15. 5. Aph. 28. Lib. de atten. diata. c. 2.

10. Quamuis autem multa & varia sunt Aromata, ad sex tamen genera omnia commodè reduci possunt. Nam aut sunt Radices, aut Herbæ, aut Cortices, aut Ligna, aut Folia, aut Fructus.

11. Radices sunt Acorus, Galanga, Zinziber, Zedoaria, Zerumbet, Curcuma, Cyperus, Costus; De quibus ordine, Aurores probatos & veteres & recentiores imitantes, nunc agemus, illorumq; primùm nomina indicabimus. Deinde figuram seu formam explicabimus. Tum genera & differentias enumerabimus. Deniq; qualitates & vires subiungemus.

A 3

Aco-



I.
ACORVS.

12. ACORVS ἀκός & ἡ ἀκόρον Gr. dicitur, quòd νόσους aciei oculorum caliginosæ medeatur. Nonnulli, teste Apuleio, ἀφροδισίαν, id est, veneream appellant: alijs radix nautica dicitur, quòd vt plurimum secus amnes, & in aquosis locis nascatur & inueniatur. Officinæ magno cum errore, sicuti in seq. Disp. demonstrabitur, Calamum aromaticum, & calamum odoratum nuncupant, vnde etiam vulgò in officinis Calmus Germ. vocatur.

Diosc. l. r.
c. 2. Auic. l.
2. tract. 2.
c. 46.

13. Acorus, qui cum Iride magnam habet similitudinem, radices obtinet Iride tenuiores & minores, quæ oblique, per terræ superficiem geniculis distinctæ, fores interiusq; ex albo rubicantes, proserpunt; substantiâ constant tenui, gustui cum quadam amaritudine acres occurrunt, odoremq; spirant gratum, præsertim si exsiccatæ fuerint. Folia Iride sunt longiora, angustiora, ex atro virentia, & suauiter olentia. Flores producit nullos, sed interdum Iulus elegans nucamenti oblongi instar folijs adnatus conspicitur.

lib. 25 c. 13.

14. Duplex est acorus, verus & vulgaris, qui Pseudoacorus nominatur. Verus, qui iam descriptus est nascitur in Ponto, Colchide & Galatiâ. Item, teste Plinio, in Cretâ; Vnde quatuor eius habentur species, quæ bonitate inter se differunt, vt refert Plinius. *Nam, optimæ sunt Pontica, deinde Galatica, mox Cretica, quæ Ponticis sunt candidiores sed primæ in Colchide iuxta Phasin amnem & ubicunq; in aquosis: Hodiè in Germaniâ colitur in hortis.*

15. Pseudoacorus, seu acorus nostras, Iridis species est, cuius radix complicata & q. geniculata est, foris alba, intus subrubra: folia longa, mucronata; Caulis leuis, teres, tenuis, qui luteum profert florem, quo decidente, siliquæ succedunt crassæ & triangulares, in quibus semen luteum, latum ac planum continetur. Nascitur in locis palustribus & aquosis.

16. Acori radix excalfacit & siccat ordine tertio; incidit, aperit,



aperit, concoquit, prouocat. Decocta aut saccharo condi- Gal. 6. de fi
ta, cerebrum & nervos corroborat, halitumq; oris mirificè m. fac. c. 18.
commendat, suffusiones & caliginem oculorum sanat; Pe-
ctus iuuat, ventriculum confortat: Lateris dolores tollit: Ie-
cinorosis & lienosis prodest, menses mouet, & secundas e-
ducit. Vrinæ stillicidijs, & à serpentibus demorsis mirificè
auxiliatur, quo etiam nomine in Antidotis præcipuè vsurpa-
tur. Easdem habet vires Oleum ex radicibus arte Chymicâ
extractum.

17. Acoro cognata est radix GALANGA vocata, quæ 11.
Caluegia ab Arabibus nominatur. Serapio lib. simpl. c. 332. GALANGA
corruptè legit Culuagen & Galuagen. In officinis Galanga Auic. lib. 2.
vocatur Germ. Galgan appellant. c. 195.

18. Galanga autem etsi medicamentum est vsibus huma-
nis valdè accommodatum, & contra plurimos morbos utilif- Anton. Mu
simum, tamen veteribus fuit incognita, neq; Arabibus satis sa in exam.
perspecta. Recentiorum quidam acorum esse putant, & aco- simpl. Ma-
ro pro eâ vsi sunt, cum tamen diuersa sint, siquidem acorus nardus lib.
Iridi cognatus est: Galanga vero acoro, vel, vt alij volunt, Cy- 6. Eph. 3.
pero haud multum absimilis est.

19. Sunt autem duæ eius species: Est enim Galanga maior
& minor.

20. Minor est radix tenuis, odorata, interius & exterius
in purpurâ rufescens, geniculata, & internodijs q. distincta, Christoph.
substantiâ constat tenui; sapore acri admodum prædita, adeò à Costâ cap
vt mansa piperis aut Zinziberis modo linguam exurat, odore de Galangâ
& formâ Cypero similis, vnde & Cyperus Babylonicus vo-
catur; Ad duorum aut trium cubitorum altitudinem assur-
git, folia acoro aut cypero similia sunt; Et spontenascitur. Ex
Chinarum regione in Indiam aduehitur, vnde & Chinensis
nominatur; inde in Lusitaniam & alias regiones defertur.

21. Optima est ea Galanga minor, quæ grauis est, densa, Delectus,
subru-



subrubra, odorata, & gustu acerrima: Impostores adulterare norunt Cyperi longi radicibus, quas contorquent, aceto & pipere macerant, & pro verâ galangâ vendunt. Sed fraus facillè deprehenditur: abraso enim exteriori cortice, nulla in radice est acrimonia, nullusq; galangæ sapor percipitur.

Garzias
lib. 1. c. 40.
Christ. à
Costa.

22. Galanga maior radix est minori quidem longè crassior, sed ignobilior & viribus infirmior, colore dilutior, minusq; odorata, arundinis modo nodosa & geniculata, Zinziberiq; similis. Assurgit duorum ferè cubitorum altitudine, folijs mucronatis in modum cuspidis lanceæ, aut Orchidis, quam Diosc. l. 3. describit, longioribus tamen & latioribus, superne saturatius, inferne dilutius virentibus: Caulis ex foliorum inuolucris, vt in orchide constat; Flos ei candidus, inodorus; Semen exiguum & neglectum. Prouenit non ex semine, sed radice plantatur, vt Zinziber, quamuis & ex semine interdum nascitur, & in hortis colitur, sed exigua adeò quantitate, vt vix acetarijs sufficiat.

Matthiol
l. 1. comm. 2.

23. Galanga calida & sicca est in tertio gradu: naribus admodum refrigerato cerebro utilis est: ore retenta anhelitum commendat: facit ad palpitationem cordis: Ventriculum frigidum excalfacit & roborat, eiusq; dolores, maximè si à frigore aut flatu proueniant, sedat; Renes refrigeratos excalfacit, prodest flatuosis vteri affectibus: Venerem excitat: omnibusq; morbis frigidis, minor præsertim, succurrit.

Auic. l. 2.
c. 195.

III.
ZINZIBER
Diosc. l. 2.
c. 190.

24. Cum acoro & galangâ magnam habet similitudinem
ZINZIBER, vel Zimpiber Plinij l. 12. c. 7. Lat. Gingiber. Officinis Zinziber. Arabibus, Persis & Turcis, Gengibil: Cum recens, & viride est, adrac vocatur; resiccatum vero sucte. In Malabar, tam viride quam siccum, imgi dicitur, vnde forsan Germani Ingwer & Ingber nominant.

Garzias
l. 1. c. 41.

25. Folia habet Iridis, aut acori, sed magis nigricantia, quæ bis terue in anno reuiuiscunt, in cacumine fastigiantur, grami-

graminisq; amplitudinem vix excedunt: caulis asphodeli ferè
crassitiem obtinens, ex multis foliorum constat inuolucris, &
cum folijs ad duorum aut trium palmorum altitudinem ex-
tollitur. Radix etiam iridi aut acoro similis, non tamen ser-
pens, vt Ant. Musa in examine Simp. censet, sed parte infernâ
fibrosa; nec profundius agitur, quàm ad ternos quaternosue
palmos.

26. Nascitur magnâ ex parte, teste Diosc. in Troglodyti-
câ Arabiâ. Galenus refert ex Barbariâ apportari, per quam, 1. 6. s. m. fac.
c. 133.
si Indiam intelligit, benè scripsit: Si verò eam Africæ partem,
quæ nunc Barbaria vocatur, minus rectè sensit, siquidem In-
dia Galeni temporibus incognita fuit. Nascitur quidem a-
pud Troglodytas & Aethyopes, sed exiguâ adeò quantitate,
vt ipsis incolis vix sufficiat; Et ad Arabes transportatur. In In-
diâ nasci Lusitani refrunt, qui plurimum ibi conspexerunt,
seriturq; semine, aut radice propagatur. Quod sponte proue-
nit exigui est momenti.

27. Eruitur interdum Zinziber libræ pondo; sed non o-
mne eandem habet magnitudinem. Oportunum autem eru-
endi & colligendi tempus est, cum folia inaruerunt, hyeme,
in Decembri & Ianuario; alioquin teredini obnoxium est.
Deinde aliquantulum siccatum limo obducitur, non quò ma-
ioris sit ponderis, sed vt foraminibus, per quæ aër ingreditur,
obturatis, diutius humiditatem suam naturalem retineat:
nam limo non probè obductum à teredinibus vitiatur.

28. Genera eius duo sunt; aliud album, aliud nigrum. De-
inde aliud recens seu viride, quod in Indiâ habetur; aliud re-
siccatum, quod ad nos apportatur.

29. Radix Zinziberis, attestante Gal. calida est & humida. lib. 6. S. M.
fac. c. 133.
Excalfacit, non primo statim occurso, veluti piper, ob substan-
tiæ partes crassiores, quæ cum humida sit, facilè perforatur,

B

&



Auic. l. 2.
tract. 2.
c. 746.

& corrumpitur, atq; eandem ob causam caliditas, quæ à Zinzibere proficiscitur, diutius perseuerat, quàm quæ à pipere, cuius partes tenuiores sunt, emanat. Ventriculo confert, eiusque dolores à frigidis humoribus, aut flatibus obortos, tollit, concoctionem iuuat, naturalem calorem auget, languentem appetitum à frigidâ causâ natum excitat; colorem faciei commendat: multisq; medicamentis adiicitur, vt eorum malignitiam coherceat, ea ad locum affectum deducat, vt citò & facilè vires suas exerant.

Garzias
l. 1. c. 41.

30. Radix hæc, vt Diosc. monet, edulij admiscetur, & adhuc hodiè minutim concisa & alijs herbis addita in acetarijs ab Indis comeditur cum aceto, oleo & sale. Deinde etiam cum piscibus & carnibus coquitur, aut condimenti loco adiicitur. Quin & ex Indiâ in Hispaniam & Italiam, non solum tractu temporis exsiccatum, verum etiam recens saccharo, aut mellis quodam genere, quod è quibusdam siliquis exprimit, conditum transuehitur. Quod longè præstantius est eo, quod hodiè in officinis ex aridis radicibus, modò acerrimo lixiuio, calce aut querno cinere parato, modò muriâ, modò aquâ dulci maceratis, cum melle aut saccharo conficitur, quibus non odor modò perditur, sed & sapor & acrimonia subtrahitur. Illud verò cum statim sine vlla maceratione condiatur, vires & facultates suas non deponit, sed integras seruat & obrinet.

Exam.
Simpl.

31. Ant. Musa refert, Zinziber saccharo conditum dum manditur, in fine veluti filamenta in ore relinquere; Sed id tantum in eo contingit, quod immaturum teredinofum, aut non satis maceratum conditur. Nam quod maturum, integrum & plenum, multisq; aquis elotum, ac saccharo conditum, gustui gratissimum est, nec vllâ vehementi acrimoniâ molestum, neq; vlla filamenta mansum in ore relinquit inter dentes.

32. Zin-



32. Zinziberi porrò similis est radix ZEDOARIA dicta, ^{IV.}
de qua nihil scriptum reliquit Dioscorides. Deductum vide-
tur à Geiduar, vel Zeduar, cuius Auicenna meminit. In Ca-
lecuto Zinziber sylvestre nominatur. Ab alijs Arnabo vete-
rum, & Zerumbet Arabum dicitur, quæ tamen omnia inter
se sunt diuersa. ^{ZEDOARIA. l. 2. c. 754.}

33. Est autem Zedoaria, radix formam Zinziberis repræ-
sentans, odorata, amariuscula, non tamen adeò, vt Zinziber,
acris; Et, vt Serapio docet, longa, rotunda, cum facie, tum ma-
gnitudine Aristolochiæ similis; colore autem & sapore Zinzi-
ber æmulans. Sic & Auic. testatur, Zedoriam esse Aristolo-
chiæ similem, atq; eam præferri, quæ ad radices Napelli na-
scitur, eiusq; esse præsentissimum remedium. ^{lib. simpl. c. 172.}

34. Sed hîc quæstio occurrit: Vtrum Serapionis & Aui-
cennæ Zedoaria vna eademq; sit radix, cum vterq; Aristolo-
chiæ eam similem esse tradat, & Auic. addat iuxta Napellum
nasci? Matthiolus diligentissimus Simplicium Medicam. in-
dagator & æquissimus Censor statuit esse diuersa, & eam esse
Auicennæ Zedoariam, quam quidam Antoram, vel Antito-
ram, alij Doronicum appellant, quæ cum napello, qui tora
nominatur, interdum crescit, eiusq; vicinitas, vt Auic. loqui-
tur, plantam napelli debilitat, eiq; resistit. Accedit, quod
Garzias ab Horto refert, Zedoariam iuxta napellum non na-
sci, quandoquidem napellus in Hispaniâ, quod syluæ procre-
ando napello non sint aptæ, vix reperitur; neq; quisq; alius
scripsit, hanc radicem iuxta napellum erumpere & nasci.

35. Duæ sunt Zedoaria, sicuti & Aristolochiæ, species:
Alterâ rotunda, alterâ longa. Vtraq; Aristolochiæ faciem
seu formam refert, eiq; soliditate par est. Rotunda eundem
habet cum longâ saporem, odorem & colorem, ab eaq; nil
nisi formâ differt.

36. Zedoaria, teste Serapione, excalfacit & siccatur ordine ^{cap. 172.}

B 2

secun-



Matthiol.
comm. 154.
in 2. lib.
Diosc.

secundo: flatus discutit, post sumpta, graue virus animæ, quod
allium, capra aut vinum excitauit, resoluit & abigit. Veneno-
forum animalium ictibus vel moribus opitulatur; Vomitio-
nes reprimat, Colicos cruciatus tollit: vteri abscessus resoluit,
alui fluxiones sistit.

v.
ZERVM.
BET.

37. ZERUMBET vel Zerumbet Arabibus vocatum, Per-
sis & Turcis Zeruba dicitur, vnde à quibusdam Zerumba ho-
diè vocari solet.

l. 2. c. 749.

38. De Zerumbet, quid sit, variæ sunt Auctorum opinio-
nes. Quidam Arnabo seu Zarnabum esse putant, de quo
Paulus l. 7. c. 3. scripsit. Verùm inter se differunt, siquidem
Auic. duo diuersa capita de ijs scripsit; Nam Arnabum, vt A-
uicenna docet, est arbor magna, & non fructificans, in mon-
te Libano existens: vel, vt Garzias ab Horto refert: Est arbor
procera in Oriente proueniens, folijs longis, colore viridi in
luteum languescente, salicis modo, sicuti & ramorum cortex:
citream spirat odorem, sed nullum habet saporem, estq; in-
frugifera.

l. 2. c. 747.

lib. simpl.
cap. 172.

39. Deinde de Zerumbet Auic. scriptum reliquit, quod
sit lignum Cypero simile, sed maius & minus odoriferum.
Verum lignum non est, sed, teste Serapione, radix rotunda,
instar aristolochiæ, colore & sapore Zinziberi similis, & è
Chinarum regione cum Zedoariâ interdum apportari so-
let.

40. Neq; est Zedoaria, vt Fuchsius vir aliàs doctissimus
Serapionem secutus existimauit; nec Zedoariæ species, sic-
uti Val. Cordus sibi persuasit.

41. Est autem graminea planta, & ad Costum Syriacum
Dioscoridis referri potest: Copiosè prouenit in Indiâ, Mala-
bar & Calecuti, suâ sponte; Cum vero seritur plurimis in lo-
cis prodit, veluti Zinziber, vnde etiam à multis Zinziber syl-
uestre nominatur; accedit, quòd folia eius Zinziberis folijs
sunt

sunt similia, longiora tamen & magis aperta: radix etiam maior & crassior, quæ eruta conciditur, & exsiccata in Arabiam & Persiam defertur, vnde, quamuis rarò, in alias transportatur regiones.

42. Zerumbet, Auic. attestante, calidum & siccum est in tertio gradu. Resoluit ventositates, impinguat, & restinguit odorem vini, alliorum & coeparum. Cor confortat, vomitum retinet. Confert mordicationi venenosorum vermium, ita vt propinqua sit Zedoariæ.

43. **CURCUMA** etsi peregrinum est vocabulum, in officinis tamen vsitatum de radice flauâ. Quidam ob flauum, quem exhibet, colorem, **Crocum Indicum** appellant. VI.
CVRCV.
MA.

44. **Curcuma** radix est, sed cuiusnam plantæ non satis constat. Sunt, qui **Indicum Cyperum** Dioscoridis esse volunt, qui **Zinziberi** similis est, & croceum in radice habet colorem, quorum sententia admitti nullo modo potest. Alij radicem **Chelidonij** maioris esse contendunt, cuius radix crocea, & folia croceum fundunt succum. Verum sciendum est, hanc radicem non esse **curcumam** à Serapione pro **Chelidonio** descriptam, siquidem ipse nil aliud per **Curcumam** intelligit, quam **Dioscoridis Chelidonium**. Nec etiam est radix **Cyperij Indici Serapionis**, cuius lectio deprauata videtur, nec constat, cuiusnam plantæ radicem **Cyperus Indicus** referat.

45. Est autem **curcuma** radix intus crocea, exterius verò alba **Zinziberi** persimilis, ex quâ enascuntur folia milio maiora, caulisq; foliaceus. Ea dum recens est amaritudine & acrimonia caret, ob nimiam, quæ in eâ est, humiditatem. Exsiccata verò acris est, sed non tam vehementer, vt **Zinziber**, cuius odorem fermè imitatur, & mansa croci modo inficit, maioremq; cum **Zinzibere** tum ratione formæ, tum virium quam cum **Cypero** obtinet similitudinem.

B 3

46. Cy-



VII.
CYPERVS
Diosc. lib.
1. c. 4.
Auicenn.
lib. 2.

46. Cyperus Gr. κύπερος καὶ κύπερις dicitur. Gaza in Theophrasto Gladiolum vertit. Cyperus autem dicitur, à radicis effigie, quæ pyxidem, aut poculum aut vasculum repræsentat. Vocatur etiam à Græcis ἐρυσίσκηπτρον, quod virgæ seu caules virides & folia in calathos siue sportas ob lentorem texti, flecti & in nexus circumagi possint. Celsus lib. 3. c. 21. 148. iuncum quadratum appellat. Plinius lib. 21. c. 18. iuncum angulosum & triangularem nuncupat. Alij à similitudine, quam cum Galanga habet, Galangam syluestrem, Germ. wilden Galgan appellant.

47. Duo eius sunt genera, à radice desumpta, quæ vel rotunda vel longa est. Vnde alter Cyperus rotundus, alter longus & Romanus, tùm Cyperus odoratus longâ radice appellatur. Quibus additur Indicus & Pseudocyperus, qui graminis species est, passim in locis palustribus nascens.

48. Cyperus longus radices habet oblongas, foris subnigras, intus albicantes, serpentes, & fibris inter se connexas, oblongas oleas referentes, suaviter olentes & amaras, veluti galanga, vndè à nonnullis galanga Syluestris nominatur. Folia sunt oblonga, arundinacea. Caulem producit bicubitalem, & nonnunquam altiorem, glabrum, triangularem, rarò quadrangularem, qui interius albam continet medullam, sicuti iuncus, in cuius cacumine prodeunt folia minora, stellarum modo disposita, inter quæ alij erumpunt minores, qui semen spicatum herbacei coloris gerunt. Nascitur in regionibus versus Meridiem sitis calidioribus, in locis palustribus & irriguis: in Germaniâ non nascitur nisi satus.

49. Cyperus rotundus folia profert porraceis proxima, sed longiora & exiliora; caulis est cubitalis, aut longior, angulosus, triangularis, in cuius summitate minuta folia, cum semine spicato erumpunt; Radix, contiguè inter se oleis oblongis & rotundis similis, nigro colore suavi, odore & gustu ama-

amaro. Nascitur etiam in palustribus & stagnosis lacuno-
sisq; locis.

50. Cyperi longi radis calida & sicca est sine acrimo-
niâ & morfu: astringit, corroborat; incidit quoq; & aperit,
vt Galenus docet. Rotundus etiam calidam vim possidet.
Vterq; calculo vexatis congruit; vrinam & menses prouo-
cat.

7. f. m. fac.
c. 64.
Auic. l. 2.
c. 148.

51. Est & alia radix, quæ *κόστος* Gr. dicitur. Latini Græ-
cum nomen retinentes Costum appellant, nomenq; ab A-
rabibus desumptum videtur, à quibus Cost aut Cast no-
minatur.

II X.
COSTVS.
Diosc. lib.
I. c. 15.
Auic. l. 2.
c. 164.

52. De Costo, quid sit, variæ sunt autorum opiniones,
quorum nonnulli fruticem esse statuunt, alij radicem esse af-
firmant: quidam herbam esse contendunt.

53. Qui radicem esse arbitrantur, Zedoariam legitimum
Costum esse volunt. Quorum sententia ex Dioscoride &
Galeno refutari potest. Nam Dioscorides scribit, Costum
Helenij radicibus, quæ magnæ sunt, adulterari. Gal. tradit
Costum calidam & acrem qualitatem obtinere, adeò vt ex-
ulceret, & ad vnguenta calida & odorata vsurpari: quibus
notis omnibus destituitur Zedoaria, quæ potius grauem,
quàm suauem habet odorem, & vehementem quandam a-
maritudinem, debiliorem verò acrimoniam possidet, cum
in Costo sit debilis seu leuis amaritudo, valida autem acri-
monia.

1. 7. f. m. fac.
c. 45.

54. Alij pro Costo Angelicæ radicem substituunt, quo-
rum sententiam non admodum improbat Matthiolas, quan-
do quidem Angelica gratum spirat odorem, ac præterea acris
est, nec amaritudinis omninò expers.

55. Sunt, qui Costum eam esse statuunt herbam, quæ Pe-
tasites vocatur, vt Tragus & Fuchsius. Amatus Lusitanus
Mentham Romanam vel Sarracenicam esse contendit, quam
costum

costum



costum hortulanum appellat. Verum cum Costus in Germaniâ non nascatur, & mentha hæc, sicuti & Petasites, tam magnas non habeat radices, quales in officinis ostenduntur, eorum opiniones approbari non possunt. Neq; etiam est Siliquastrum Plinij, seu piper Indicum, aut Dioscoridis hydropper, vt Ruellius credidit: siquidem nec siliquastrum neq; hydropperis radix est in vsu. At nec Lepidij radix est, quandoquidem nulla inter Costum & Lepidium est similitudo.

lib. 1. c. 35. 56. Garzias ab Horto, qui se Costum vidisse testatur, fruticem esse scribit, Sambuci effigie, & arbuti vel Iuniperi magnitudine, flore odorato præditum. Præcellit, qui intus candidus est, cortice cinereo, quamuis & colore buxi inuenitur, cortice pallecente: tantaq; odoris fragrantia est præditus, vt nares feriat, & capitis dolorem excitet, gustu nec amaro nec dulci, tametsi senescens interdum amarescat: nam recens acrem habet gustum, vt & reliqua aromata ferè omnia.

57. Hæc Costi descriptio cum veterum costo non congruit. Diosc. enim scribit, illorum costum radicem esse, & vt supra dictum est, Helenij radicibus adulterari. Nec verisimile est, fruticis ramum, aut radicem, tantam habere cum herbæ alicuius radice similitudinem, vt inuicem adulterari queant. Accedit, quod Garziæ costum parum habet radicis, & ferè nil nisi lignum est, cortice pallecente.

58. Tria Diosc. costi genera, à regionibus, in quibus nascitur, desumpta, recenset: Arabicum, Indicum & Syriacum, quæ colore, odore, sapore & bonitate inter se differunt. Arabicus, qui omnium est optimus, candidus est & leuis, eximia odoris suauitate, densus, aridus, à teredinibus non erosus, gustu calidus & mordax. Indicus, leuis est & vt ferula niger. Syriacus grauis est, colore buxi, & odore graui.

59. Recentiores ex gustu duas costi constituunt differentias;

tias; alium dulcem, alium amarum appellantes. Quod inde factum arbitramur, quod costus recens & incorruptus nullius amaritudinis est particeps, candidusq; persistit: Vetustior autem corrumpi incipiens, amaritudinem contrahit, & nigrum colorem acquirit. Et licet in sapore tanta sit confusio, ut qui dulcis vocatur, amarus sit; dulcis percipiatur, qui amarus dicitur: tamen his uti cogimur, cum illis à Diosc. descriptis, hodiè careamus.

60. Costus, teste Gal. excalfacit & siccat, ac amaram leuiculam, plurimum autem acrem & calidam in se qualitatem continet, adeò etiam, ut exulceret; ideoq; ad vnguenta & Emplastra commodè adhibetur, sicuti supra dictum est.

61. Est præter verum costum, de quo hætenus est dictum, & alius, qui vulgaris & pseudocostus vocatur; estq; herba, quæ radice nititur vegetâ, cortice crasso, ac carnosio, colore subalbicante; caulis est bicubitalis, rotundus, geniculatus, ramosus, ut in fœniculo: folia pastinacæ domesticæ similia; maiora tamen & densiora, crispa & aspera, humi accubantia; Ex geniculis caulis ramuli egrediuntur plures, in quorum summitate umbellæ spectantur melleo colore, nudo semine & subrotundo. Nascitur in Apuliâ monte Gargano.

62. Huius, teste Cordo, duæ sunt species, quarum radices genere & specie inter se differunt. Alter enim est radix, in Comagene Orientis regione nascens, quæ nostrati Enulæ seu Helenio per transversum dissecto similis est, nisi quod eâ densior & solidior sit: Color in cinereo nigricat; sapor amarus, nec adeò acris, quia, antequam ad nos defertur, inueterascit.

Annot. 15.
in l. l. Diosc.

63. Alter etiam est radix densa, crassa, magna, per transversum in taleolas dissecta, lineis centro ad superficiem ductis apparentibus multis, colore foris fusco, intus candicante cortice crasso, substantiâ rarâ, odore leui, & cum teritur, rancidam

C

dam

dam quandam pinguedinem olet, gustu admodum acri, salivam ciente, & strangulationem minante. Et hic pro vero costo exterius vsurpari potest & applicari, siquidem ex profundo attrahit, ruborem & tumorem excitat, atq; exculcerat. In corpus autem sine periculo ob nimiam acrimoniam assumi sine periculo non potest, neq; debet.

64. Deniq; cum tot sint Autorum de costo, eiusq; speciebus opiniones, nos illorum sententiam non improbamus, qui statuunt, nos hodiè vero costo carere, & duo costi genera, quæ in officinis habentur, esse duas pseudocosti species. Nec multùm eos aberrare putamus, qui in tantâ radicum, quæ pro costo exhibentur, varietate, loco costi Zedoariâ vtuntur, præsertim, cum nonnulli costum Syriacum, Zedoriam esse statuunt.



Πάρεργα.

I.

An consideratio rerum Botanicarum sit merè Medica? Neg.

II.

An Caphura magis inter Medicamenta calida, quàm frigida sit numeranda? Posterius affirmamus.

III.

An sibi contradicant hæc: Corpora impura, quò

quò plus nutries, eò magis lades, Hipp. 2. Aph. 10.
Et: ubi valida vires fuerint, & humores corru-
pti plenius & sæpius cibandum, Gal. 17. Aph. l. 1.
Negamus.

IV.

An certum semper ex urina de pestis inuasio-
ne desumi possit signum? Neg.



AD DN. RESPONDENTEM
LEVINVM FISCHERV M,
Amicum suum integerr-
mum.

Dost aduersa pijs fulmina Gratijs,
Et clades dubias (congeries licet
Et fragmenta malorum
Diris obstreperent minis)
Exultent iuuenes, quos trahit integra
Virtus & pietas! Iulia permanet,
Durat, nescia vinci
Aeternâ trieteride.

C 2

Fœtorq;

Fœtorq; & sanies squammiferæ Iuis
Absunt, pestis abest, semina desinunt,

Non conuulsa trahuntur

Nostri viscera corporis.

Non hanc fortuitò Iulia possidet

Sortem, dexteritas ingenui viri,

Et diffusa per orbem

SIGFRIDI pietas facit.

Hic quid Malabathrum, Cinnama quid queant,
Quid dura Aspalathus, differit optimè:

Qua virtute repugnet

Bezar Dipfadis ignibus.

Hunc LEVINE virum dum sequeris ducem,

Summi participem te facies boni,

Et fortuna sequetur

Tantis digna laboribus.

Scribebat

Fridericus Wagnerus Sil.

F I N I S.



99 A 6903

(Nr. 24)

nicht

(Nr. ~~ausgegeben~~)

(25 Handschrift)

(9)

ULB Halle

3

002 636 220



VD17

TA-OL




... in adu. Insuper ...
... factu in huiusmodi ...
... adhibuit ad se ...
... obamque obi novis fame utrum
... pondus nomen in ...
... mutavit causa custodie qui
... publica pena. Johannes
... adu. et diligit pda
... causa arguunt unciarum
... cum mactate. Et quod rep
... iquit iohanne & alligant po
... dicat et uident dicit. Et cum
... am hoc dicit et agitur in
... ubi sunt uita naturae. S. mul
... ubi dicit ubi homo ubi fact ubi lex
... ubi existimant publico cogito
... ubi fact ubi forma ubi pda

ent adfiffi. In nomine
Opera. arte. terra

quia in huiusmodi omni melior
Prigeloferba. et in. T. in. terra.





47.
RERVM MEDICINALIVM
Ex Dioscoridis primo libro desumptarum
DISPVATIO PRIMA,

De
GENERE AROMATVM, QVAE RADICES SVNT.

CVIVS THESES

Diuinâ fauente gratiâ

PRAESIDENTE

IOHANNE SIGFRIDO, PHILOS.
& Medicinæ Doctore ac professore in
Illustri IVLIA ordinario,

Publicè tuendas suscipit

LEVINVS FISCHERVS
Osterouicensis.

Habebitur disputatio die 26. IXbris, manè
hora 7. in auditorio maiore.

HELMÆSTADII,

Ex Typographeio IACOBI LVCII.

Anno cl. l. cxi.

